

_Lettera_N_2396

Al papa Pio IX

Beatissime Pater,

Torino, anter. 12 settembre 1876

Joannes Bosco Sacerdos piae Salesianae Societatis Rector Generalis ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus pro eadem Congregatione humiliter exponit.

Sub die 3 aprilis 1874 hujus Congregationis Superiorem Sanctitatis Tua dignabatur declarare facultatem habere litteras dimissoriales concedendi ad decennium. Anno vero 1875 sub die prima octobris Sanctitas Tua, Beatissime Pater, etiam declarare dignabatur omnes Congregationis domus ab Ordinariorum jurisdictione et visitatione exemptas esse quoad disciplinam domorum regimen et administrationem.

Quae ut licite et absque conscientiae anxietate fierent, sub die 21 aprilis 1876, has facultates aliis Congregationibus ecclesiasticis passim concessas addere dignabatur:

1° Superiores alicujus domus Congregationis omnia munia Parochialia exercere possint erga omnes habitatores domus. Hinc omnes Salesiani Presbyteri ad audiendas sacramentales confessiones iam in aliqua Diocesi adprobati sola superioris deputatione sociorum aliorumque de familia confessiones excipere possint.

Iidem confessarii socios secum iter habentes absolvere possint etiam extra Diocesim, in qua extat domus, praecipue cum ad exterarum missionum proficiantur.

S. Pius V Bulla ad Immarcescibilem. Benedictus XIV Pro Pii Operarij Brevi 24 Maii 1751. Clemens XIV Brevi Supremi Apostolatus Pro Passionistis.

2° Habita ratione temporum, et magnae penuriae sacerdotum, praecipue eorum qui ad exterarum missionum mittendi essent, Clerici Salesiani dummodo necessariis praediti sint requisitis, extra tempora a sacris canonibus statuta Ordines tum minores tum maiores accipere possint, servatis servandis etiam quoad interstitia, quorum dispensatio semper ad Episcopum ordinantem spectabit.

Gregorius XIII Brevi: Pium et utile Pro Societate Jesu.

Leo XII Brevi: Plura inter.

Tandem pro Congr. Missionis Pius IX (quem Deus diutissime incolumem servet) Brevi: Religiosas familias 13 maii 1859.

Ast cum facultas concedendi litteras dimissoriales sit tantum ad decennium, exercendi vero munia parochialia erga habitatores domorum congregationis cohibeatur ad triennium in Italia, ad quinquennium extra Italiam; ideo humillime sed instanter Clementiam Tuam deprecatur ut in perpetuum eadem concedas facultates. Insuper cum hujusmodi facultates magna cum difficultate exercerentur, si ecclesiae, quae stricte ad congregationem pertinent, suam non habeant independentiam; ideo magnum beneficium postulatur, ut non tantum domus, sed etiam ecclesiae sint, quoad Ordinariorum visitationem, exemptae. Hujusmodi exemptione gaudent Regulares et religiosae Congregationes. Collectanea, pag. 800.

Praeter rationes communes, ob quas instituta ab Ecclesia adprobata hujusmodi privilegiis gaudeant, nonnullae speciales rationes pro Salesiana Congregatione addi possunt.

1° Cum haec pia Societas sit temporalibus mediis omnino destituta, magna indiget benignitate, clementia et facultatibus spiritualibus, ut propria instituta regere, conservare, eorumque finem consequi possit.

2° Haec pia Societas orta cum sit in nostrorum temporum tristitia, magnas inter difficultates surgere, se consolidare, in varias et dissitas terrae partes socios mittere, pluresque domos, ecclesias, hospitia aperire et conservare potuit. Solummodo in Repubblica Platensi vel Argentina et in Republica Uruguiensi iam tredecim instituta ad derelictorum adolescentulorum nec non adultorum utilitatem erecta sunt. Nunc vero de aliis domibus aperiendis agitur

in pluribus Italiae partibus, in Gallia, in Hispania, in America, in Africa, in Asia, in Australia. Instituta congregationi a Providentia Dei tradita, sexaginta sunt; alumni circiter viginti millia, qui domi apud nos civilem et christianam educationem accipiunt.

3° Multitudini huic domorum et alumnorum procul dubio perutile est cognoscere privilegia, perspicere modum, quoad praxim (et cum parsimonia) traducenda sint. Haec societas cum a bonitate Tua, Beatissime Pater, exordium sumpserit, creverit, adprobata, multis et magnis beneficiis quovis tempore ditata fuerit; ut haec etiam addas omnes Salesiani supplices et reverenter toto cordis affectu petunt.

Sac. Gio. Bosco